



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola LI. Gregorii Papae I. Ad Felicem Episcopvm Sipontinvm.  
Canusinam ecclesiam commendat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

quæ caste regenda est. Tribus vero de quibus prædicto filio meo Bonifacio diacono tua experientia scripsit, quia vehementer egent, quidquid eis sufficere æstimas impende, quod nos in tuis postmodum rationibus imputabimus. Data mensè Iulio.

## EPISTOLA LI.

## GREGORII PAPÆ I.

AD FELICEM EPISCOPVM SIPONTINVM.

Canusinam ecclesiam commendat.

*Gregorius Felici episcopo Sipontino.*

**P**ERVENIT ad nos quod Canusina ecclesia ita sit sacerdotii officio destituta, ut nec pœnitentia ibidem decedentibus, nec baptisma præstari possit infantibus. Huius igitur tam piæ rei tamque necessariæ mole permoti, iubemus dilectioni tuæ, ut huius præceptionis auctoritate communitus memoratæ ecclesiæ visitator accedas, & vel duos parochiales presbyteros debeas ordinare, quos tamen dignos ad tale officium veneratione vitæ, & morum grauitate præuideris, & quibus in nullo obuiet constituta canonicæ disciplinæ, ut sanctæ cum digna cautela prouideatur ecclesiæ.

## EPISTOLA LII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM SVRRENTINVM.

Præcipit consecrationem monasterii sancti Stephani.

*Gregorius Ioanni episcopo Surrentino.*

**R**ELIGIOSIS desiderii facile est præbere consensum, ut fidelis deuotio celerem fortiatur effectum. Et quoniam Sauinus abbas monasterii sancti Stephani insulæ Capris suggessit nobis se S. Agathæ martyris reliquias iam olim apud se habere concessas, & in monasterio suo vult ipsa sanctuaria collocari, ideoque ad prædictum monasterium te iubemus accedere, & si ibidem nullum corpus constat humatum, prædicta sanctuaria sollemniter collocabis, ut deuotionis suæ potiatur effectum.